Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 185
Quelle:
Copyright:

se reor, quo Literatores varii Radulphum hunc *Gallum* ejusque scripta cum Radulpho cognomine Nigro *Anglo* Suffolciensi et ejus scriptis confudere. Ita, ut exemplo recentissimo utar, Chronicon T. III. *Biblioth. Hist. de la France, Paris* 1771. p. 376. Radulpho nostro tributum Angli potius esse videtur, maxime si chronologiam utriusque spectes. Adi in hanc rem *Th. Tanneri Bibl. Britanno-Hib.* p. 548. Opus Nostri in *Leviticum* lucem primum publicam vidit *Coloniae* impensis *Quentelianis* opera *Euch. Cervicorni* M. D. XXXVI. f. moxque in *PP. Bibliothecas* transiit, quarum *maxima Lugdunensis* illud T. XVII. exhibet ad p. 47. Autorem literis etiam profanis sic satis imbutum, sed in consectandis allegoriis nimium fuisse liquet.

LXXV. VII. C. 17

174 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 186. f. probe scriptus et rubricis exornatus sistit *Radulphi Flaicensis* Monachi O. S. B. *Commentariorum in Leviticum Partem* I. sive *Libros X. priores.* Integrum Opus XX. Libb. *Cod.* LXXIV. et Partem II. sive Libros X. posteriores *Cod.* LXXVI. exhibemus, qui tamen cum praesenti nec forma, nec scriptura cohaerent. Prologi miniatus titulus est: *Incipit prologus in tractatum super leviticum.* Neque nomen Autoris proditur, nisi in *nota* Sec. XV. praevia pro *Lectore mensae*, in qua *Rudolfus super leuiticum* audit. Initium Prologi est: *Cum inter socios aliquando sermo de iudeorum contentionibus haberetur* &c. Illud singulare, quod et hic, et in singulorum Librorum principiis pro literae initialis florulentae longitudine lineae rubrae nigraeque alternent. Prologum *Elenchus* Capitum omnium XX. Libb. excipit, quem breve aliud *Proemium* sequitur hoc exordio: *Tercius in Moysi libris leuiticus appellatur* &c. et tum denique minio: *Incipit tractatus super Leuiticum. De holocausto bouis. Capitulum primum. Pars prima. Vocauit autem Dominus moysen* &c. Finis L. X. *qui dedit in mari uiam. et abscondita produxit in lucem. Explicit liber decimus et prima pars tractatus super leuiticum.* Vide, quae de Autore et Operis editionibus dicta sunt ad *Codd. supracitatos.* Nostro adhaeret fabella superstitiosa de *tribus bonis Fratribus* Christo occurrentibus et ab eo edoctis vulnera sanare oleo olivae ex monte oliveti et lana ouis nouiter tonsa, adhibita formula sequente: *Sicut longinus hebreus lanceam fixit in latus domini nostri iheſu christi, et non diu sanguinauit non tumuit non putruit non* ranclauit *non ardorem tempestatis habuit ita plaga ista quam* carmino *non diu sanguinet non tumeat non putreat non* ranclet *non ardorem tempestatis habeat in nomine patris* &c. *Carminare* hic pro *Incantare* positum notius est; sed *Ranclare* diminutivum aut frequentativum a